

XXV

IN LYDIAM

Strophe Sapphica

Parcius iūctās quatiunt fenestrās
Iactibus crēbrīs iuvenēs protervī,
Nec tibi somnōs adimunt ; amatque
Iānua līmen,

Quae prius multum facilis movēbat
Cardinēs. Audīs minus et minus iam :
‘Mē tuō longās pereunte noctēs,
Lȳdia, dormīs ?’

Invicem moechōs anus arrogantēs
Flēbis in sōlō levis angiportū,
Thrāciō bacchante magis sub inter-
Lūnia ventō,

Cum tibi flagrāns amor et libīdō,
Quae solet mātērēs furiāre equōrum,
Saeviet circā iecur ulcerōsum ;
Nōn sine questū,

Laeta quod pūbēs hederā virentī
Gaudeat pullā magis atque myrtō ;
Āridās frondēs hiemis sodālī
Dēdicet Eurō.